Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1063
Quelle:
Copyright:

reuerentia non recedat. Initium III. *Senuit David. Ungiturque Salemon* &c. Finis: *esre pontificis et prophetę sunt industria restaurati.* Initium IV. *Post diuisionem regni israel* &c. Finis: *Et hęc omnia figurę nostrę fuerunt.* Haec quoque *Expositio* Eucheriis quondam subposita, imo luculentius, se partum juniorem esse prodit; pluries enim in ea *Gregorius M.* exempli caussa sub finem L. I. nobis *Fol.* 145. p. 2. et *Cassiodorus senator* L. III. nobis *Fol.* 174. citantur. Quin L. *eod.* nobis *Fol.* 182. mentio fit *Augustini*, *Paulini* et aliorum a *Gregorio* in Britanniam ad verbum Dei disseminandum missorum, ut adeo ex hoc etiam loco convalescat opinio, Compilatorem nostrum ad

penitus toto divisos orbe Britannos

pertinere. Legitur Opus illius in *supracit. Bibliothecae* T. VI. *col.* 939. In calce porro Codicis nostri a nemine, quod sciam, hactenus consulti eadem manu adnotatum est: *Scribenti salus. legenti uita. possidenti uictoria. Witigario christique pontifici gloria sempiterna.* Primo item Codicis folio in summa ora adscriptum reperio *Witigarus.* Itaque inducor, ut credam illum in *Coenobio Ottoburano* exaratum fuisse, cujus Abbas *Witigarius*, aliis *Widegardus*, *Wiggerus* vir sanctus, ad Augustanas insulas evectus, Helvetiorumque Apostolus a. 902. ad Superos abiit.

CCLXXXVI. IX. F. 7.

492 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 33. 4. commode scriptus exhibet: I. absque titulo *Anselmi Cantuar.* Archiep. a. 1109. vivis exemti Opusculum *de Conceptu Virginali et Originali Peccato*, cujus initium: *Cum in omnibus religiose tuę uoluntati uelim si possim obsequi frater et fili carissime boso* &c. Nullam *Capitum* divisionem agnoscit *Codex*, qui ceterum cum edit. *Gerberon. Paris.* 1721. p. 97. f. probe congruit.

II. *fol.* 15. sequitur pariter ἀνεπιγραφως Ejusdem *Dialogus* inter Discipulum et Magistrum *de Libero Arbitrio*, qui incipit: *Cum liberum arbitrium uideatur repugnare gratię et prędestinationi et prescientie dei* &c. et extat edit. *cit.* p. 117. Textus sincerus, divisio Capitum nulla.

III. *fol.* 21. p. 2. eodem modo Ejusdem Quaestio Tertia e Tribus, quae habentur edit. *cit.* p. 123. illa scilicet *de Concordia gratiae et liberi Arbitrii.* Initium: *Restat nunc ut de gratia et eodem libero arbitrio eadem gratia adiuuante consideremus* &c. Nihil inferior praecedentibus, et pariter indivisa.

IV. *fol.* 30. p. 2. Recensio *Regularum* VII. ad investigandam Scripturarum sacrarum intelligentiam *Tichonii Afri* Seculi IV. exeuntis